

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorvm Evangelicorvm D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in
Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In
Sacrosanctum Euangeliū secundūm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in
semetipso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

facere; ut ostendat vnam esse non tantum voluntatem, sed & operationem.

26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.*

Ostendit his verbis Christus eiusdem vitæ seu naturæ se ^{Christi} esse cum Patre. Si enim alia esset vita Filii, alia Patris, non haberet vitam in semetipso sicut Pater habet, sed vita eius esset participata atque ab alio dependens, ut optimè hoc loco contra Arianos notauit Chrysost. homil. 38. Quia tamē alius est Pater, alius est Filius, & licet in semetipso non tamen à semetipso Filius vitam habet, propterea dixit, *Dedit ei Pater ut vitam haberet in semetipso.* Nulla creatura vel à semetipso vitam habet, quia à Creatore illam accepit; vel in semetipso, quia ab alio penderet, & perpetua Dei conseruatione indiget. Quod autem dicitur, *Dedit Filio habere vitam, &c.* dupliciter à Doctoribus intelligitur, & duplicititer est verum. Dedit Filio quoad diuinitatem per naturalem generationem ab æterno, ut August. tract. 22. in Ioan. & Chrysost. loco citato exponit. Dedit Filio quoad humanitatem per unionem ad Verbum in tempore, ut Cytillus exponit lib. 2. cap. 144. Sed prior propositio magis ad literam est, quia dare humanitati per unionem ad Verbum, totius Trinitatis est: sed dare quoad diuinitatem, solius Patris est, de quo sic Christus loquitur. Ex quo etiam Caluini glossa refellitur, qui ut omnia præcedentia in fauorem Arianoſi ad Christi diuinitatem nihil pertinere voluit, sic & hæc verba inuertere conatur. *Vitam (inquit) in se ha-* ^{Caluinus} *bere Deus dicitur, non tantum quia propria virtute & intrin-* ^{Arianis} *seca solus viuat, sed quia vita plenitudinem in se cōtinens, om-* *fauet.* *nia viuificet.* Deus itaque vitam apud se occultam habere nolens, transfundit in Filium, ut ad nos manaret. Hinc colligimus, hunc titulum ascribi Christo quatenus in carne manifestatus est. Hæc, inquam, omnia ex eo refutantur, quod Christus de vita loquitur quam Pater Filio dedit: quod non nisi de diuina generatione intelligi potest.

29. *Procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.*

Docet hic locus vitæ beatæ consecutionem non secus à ^{Bonorum} bonorum operum quam à fidei necessitate pendere, & ^{operum} ut prius fidem, sic hæc vitæ puritatem ad salutem esse necesse fariam.